



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Hermanni Conringii De Antiquitatibus Academicis Dissertationes

Conring, Hermann

Helmeftadii, 1674

Supplementum XXVII. Ad pag. LII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12929**

διποδεκτικῶς haud liceat Hippocratem asserere auctorem, sicut perquam probabile tamen id meritò est æstimandum.

## SUPPLEMENTVM XXVII.

Ad pag. LII.

**N**ON hoc loco disputabimus, utrum rectè à nobis sit dictum nec ne, Archiatros olim dictos quibus Principum valetudo curanda erat concredita. Etsi enim vox ἀρχίατρον primò haud significet τὸ ἀρχόντος ἰατροῦ sed primarium quemvis: nihil vetat tamen solius Principis valetudini dictos κατ' ἐξοχὴν ita esse appellatos. Comes Archiatrorum utiq; Principi inservivit, ceu Formula Cassiodoriana disertè docet; *Indulge te quoq; inquit, Palatio nostro; habeto fiduciam ingrediendi, qua magnis solet pretiis comparari.* In eadem Formulâ dicitur ἀπλῶς de Archiatri: *Habeant Praesulem, quibus NOSTRAM committimus sospitatem.* Fateor tamen haud esse vero ab similem sententiam eorum, qui Archiatros dictos omnes omnino primarios medicos arbitrantur. Fuisse verò certum gradum dignitatis Archiatralem, certumque etiam hujus tituli Medicorum numerum, liquidum est; patebitque ampliùs infra exiis quibus supplebimus nonnulla dicta pag. 116.

Examen autem Archiatrorum cooptandorum nequaquam fuisse penes Comitem qui appellabatur, docet primò illud quod in constitutione Valentiniani & Valentis facultas illa examinandi tribuatur collegio quidem Archiatrorum aut Ordini, non autem Comiti; secundò quod in Formula Comitum Archiatrorum Cassiodorianâ nulla hujus examinis fiat mentio. Constituitur enim Comes ille ibi *judex* quidem, sed non nisi controversiarum inter Medicos de medendi ratione exortarum. Est verò illa  
Formula



Formula apprime lectu dignissima: præsertim addito doctissimo Commentario ejusdem quem ante celebravimus literatissimi viri & quondam amici nostri eximii Joannis Henrici Meibomii, etsi liber sit posthumus.

Notatu dignum porro est id quod Formula ista habet. *In ipsas quidem Artis hujus initiis quodam sacerdotii genere sacramenta vos consecrant. Doctoribus enim vestris promittitis, odisse nequitiam & amare puritatem. Sic vobis liberum non est, sponte delinquere, quibus ante momenta scientiæ animas imponitur obligare.* Hæc sanè verba significant haud obscure, etiam illâ tempestate, saltim quædam in capita Hippocratici Jurisjurandi sacramento solemni tyrones Medicæ artis adigere, recepti fuisse moris. Id quod aliàs fieri solere, haud equidem dixerim.

## SUPPLEMENTVM XXIX.

Ad pag. LIV.

Quamvis de examinibus Medentium inter Muhamedanos olim usitato, nihil differere potuerimus, fortassis tamen haud abs re jam fuerit, adferre aliquid huc nonnihil faciens, adhuc usitatum in Ægypto: idque testimonio Medici pereximii, quique ut post in Patavina Schola magno cum applausu Artem docuit, ita eandem Cauri per quadriennium juvenis feliciter jam fecerat, degens in Venetorum Consulis familia, Prosperi Alpini. Ita vero ille *l. 1. de Medicina Ægyptiorum c. 1.* scripsit. *Extat Cauri inter ceteros medicos omnes quidam Ægyptius quem Achimbasi illi appellant: qui medicorum princeps nostrâ linguâ interpretatur. Hujus officium est, illos qui ibi medicinam exercere velint, de illiusce artis peritia sedulo percunctari, & examinare, atque eis, qui in medendi examine recte responderint ac recte se gesserint, publica fide concedere, ut per eam regio-*

Ll

nem